

24
 dicit. Nam (1.) v. 1. 4. 5. Cap. III. Gen. tales Serpenti tribuuntur actio-
 nes, quæ in naturalem non cadunt. (2) singularis hic inimicitia de-
 scribitur. At de serpente naturali non magis sibi metucere habe-
 bat opus, quam de aliis venenatis aut parcere nesciis bestiis. (3) in-
 doles contritionis capitis serpentini cessura in solatium homini-
 bus lapsis explicationem hanc non admittit. Exiguum enim aut
 nullum inde resultasset solatium, etsi omnibus, quotquot erant,
 serpentibus & citra calcanei læsionem contrita fuissent capita. vid.
B. Salomon Glassius, (e) Nostra ergo sententia est, hoc in dicto agi
 de illo antiquo serpente, qui est Diabolus & Satan Apoc. XX. 2. qui
 totum mundum seducit, adeoque & Evam seduxit, Apoc. XII. 9.
 conf. Joh. VII. 44. 2. Cor. XI. 3. *Per semen mulieris* hic non intelligun-
 tur collectivè ejus posteri, ut cum Calvino, Musculo, Pareo, Beza, Ri-
 veto aliisque ex hoc grege, nec non Hugone Grotio statuit Do-
 minus Observator; sed individualiter unicus Messias Dei filius ex
 promissione mediata generatione secundum H. N. in temporis
 plenitudine extiturus. Idque prob. (1) ex appellatione. Vocatur
 seminis serpentini Antagonista מְרִי, quod nomen in propria &
 famosiori significatione unum saltem notat individuum, quomo-
 do accipitur Gen. IV. 25. XV. 3. XXI. 13. XXII. 18. 2. Sam. VII. 12. ali-
 biqve passim. Esse vero individuum hoc solum Messiam, ex se-
 quentibus innotescet. (2) Ex operis singularissimi attributio-
 ne, quod est contritio capitis serpentini activa, contritionis passivæ
 interventu futura. At solus Messias serpentis caput h. e. Diaboli
 potentiam ac robur omne, quo nocere nobis potest, conterit h. e.
 destruit atque hoc pacto Satanicum regnum plenariè debellat.
 (3) ex Collegii Patriarchalis interpretatione Gen. IV. v. 1. c. V. v. 29. (4)
 ex seminis hujus ad unicum Messiae individuum alibi factâ de-
 terminatione. Conf. Gen. XXII. 18. XXVI. 4. XXVIII. 14. XLIX. 10.
 Gal III. 16. Hebr. II. 16. alibiqve. Eandem hujus loci interpretatio-
 nem habent LXX. Interpretes & Chaldaica Paraphrasis, de qua
 vid. *B. Waltherum*. (d) Nobiscum consentiunt quoque ex Calvi-
 nianis *Franciscus Junius* (e) *Sixtinus ab Amama*. (f)

(a) *In b. l.* (b) *in b. l.* (c) *in Christol. Mosaica Diss. II p. 2. th. 10. sqq*
 (d)